



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. X. De impedimento ex vi, seu coactione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

## §. IX.

## De impedimento ex cultûs disparitate.

1987. De hoc impedimento egimus *tit. 9. à n. 1039.* Cultu disparès sunt, qui non sunt ejusdem, sed diversa Religionis, & fidei; hæc disparitas cultûs inter baptizatum; & non baptizatum, reperitur; est Ecclesiæ constitutione dirimens matrimonium inter eos contrahendum, aut contractum juxta n. 1059. & est impedimentum juris tantum Ecclesiastici ex n. 1060. non extendit se ad matrimonia fidelium cum hæreticis dirimenda per n. 1061. & seq. hæc tamen conjugia, ubi adest morale, seu prudens periculum perversionis; illicita sunt, per n. 1062. præsertim, si fiant cum pacto, ut omnes liberi sequantur parentis hæretici fidem, ex n. 1065. & seq. Et si autem unus conjugum infidelium conversus ad veram fidem, altero ab eo vel physicè, vel moraliter discedente, licitè, validèque contrahat matrimonium cum fidei, per hoc dissolvendo prius vinculum cum infidei; hoc tamen concessum non est, si conjuges fideles in infidelitatem lapsi sunt, & unus eorum facti penitens, ad fidem revertatur, altero in pertinacia persistente ex n. 1066.

## §. X.

## De impedimento ex vi, seu coactione.

1988. *Vis, seu coactio*, prout hic accipitur, est impedimentum dirimens matrimonium defectu consensûs per eam exclusi, prout de jure requiritur ad valorem matrimonij, de hoc egimus *tit. 1. à n. 389.* Vis alia est præcisâ, seu absoluta; alia conditionalis; vis, seu coactio solum conditionalis, non tollit voluntarium simpliciter; nec excusat à culpa contra legem naturalem; secus, vis absoluta ex dict. à n. 390.

1989. Vis præcisâ, seu absoluta dirimit matrimonium jure naturæ ex n. 391. & seq. coactio autem conditionata, seu metus alius est gravis, & cadens in constantem virum; alius tantum levis, ut exposuimus n. 393. & seq. Metus etiam gravis, & cadens in constantem virum, si proveniat à causa solum naturali, nec jure naturali, nec jure positivo invalidat sponsalia de futuro, vel de præsentibus ex n. 296. idem tenendum est de metu gravi, & cadente in constantem virum, *justè incussò à causa li-*

bera ex n. 397. & à fortiori, de metu levi etiam injustè incussò, & directè ad extorquendum consensum ex n. 298. & seq. licet oppositum aliqui sentiant à *num. cit. & seq.*

Metus autem gravis, *injustè, ac directè* incussus ad extorquendum consensum, irritum facit matrimonium non tantum jure positivo, sed probabilius etiam jure naturali à n. 407. Et hoc procedit, si metus ille incussus sit ab uno contrahentium, sive ab alio, si directè intendit extorquere consensum; sponsalia tamen de futuro ex tali metu, nec jure naturæ à n. 407. nec jure positivo irrita sunt, n. 426. sed tantum irritanda, ex n. 431.

Metus exhæredationis injustè incussus & directè ad extorquendum consensum à liberis, invalidat matrimonium utraque jure ex n. 486. hic metus *injustè* incussus liberis à parentibus, quoties ejus minæ, vel ipsa exhæredatio contingit propter matrimonium à liberis initum, contra voluntatem parentum, quam in tali casu licitè præterire poterant ex n. 487. probabilius est, *injustè* exhæredari filium ex hoc, quòd nupserit indigno, si prius non recusavit nuptias cum dote oblatas, nec luxuriosam simul vitam elegit ex n. 497. an, & quale impedimentum matrimonio præstat metus amittendæ dotis; item metus pœnæ, à Dominis, vel Magistratibus Laicis statuta? exposuimus à n. 433.

## §. XI.

## De impedimento ex Ordine Sacro.

De hoc impedimento à nobis actum est *tit. 6. à n. 938.* Notandum autem, quòd prima tonsura, vel quatuor minores ordines matrimonio contrahendo nullum præstant impedimentum per n. 938. contracto tamen matrimonio ejusmodi Clerici amittant beneficia prius obtentâ, cum exceptione in n. cit. Ordo facer sic ordinato præstat impedimentum dirimens matrimonium ab eo contrahendum, aut eo stante, sine dispensatione contractum ex n. 942. non autem si prius sit rite contractum ex n. 947. Ordo facer vim dirimendi matrimonium non habet ex se, & jure naturali, vel etiam positivo divino ex n. 941. obligatio servandi continentiam, quam habet Clericus ordinatus in sacris, non est de essentia status Clericalis, etiam in